Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2849
Quelle:
Copyright:

CODICES LITURGICI.

788 —— 959.

DCCLXXXVIII.

414 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 38. 4. eleganter exaratus, rubricisque distinctus praemisso *Capp.* LXIII. Elencho inscribitur: *Incipit Micrologus de ecclesiasticis obseruationibus. In primis de officio missę.* C. I. rubrica: *De introitu ad missam.* Initium: *Presbiter cum se parat ad missam. iuxta romanam consuetudinem decantat psalmos* &c. Finis totius Operis: *ut iuxta euangelium eiusdem diei de V. panibus cum quinque milibus hominum saturari mereamur.* Edidit illud integrum sub *Micrologi* titulo primus *Jac. Pamelius Antverp.* 1560. 8. Ex eo *Melch. Hittorpius* in suam Ecclesiast. Officior. Συλλογὴν recepit *Colon.* 1568. f. Alias Editt. vide *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. XII. p. 78. Circa Autorem in varias abiere sententias Eruditi, dum *Codd. mss.* indicio quidam *Rabanum*, alii *Joannem* quendam Ep. *Bernoldum* Presb. *Constantiensem*, *Bernonem Augiens.* *Guidonem Aretinum* nominarent, donec *Henr. Wbartonus* proferret vetustum Biblioth. *Lambethanae* Exemplar *Ivonis* Ep. *Carnotensis* nomine insignitum, in quem operis χειρηγία magis conspirant, quam in quemvis alterum; nam et *Gallum* fuisse Autorem citatus c. 11. *Ordo Gallicanus* manifestum facit, et cum *Gregorio* VII. Pont. *Rom.* egisse verba illa c. 14. *Sicut nos ipsi per ipsum et per Episcopos, qui eum imitati sunt, accepimus* &c. declarant; et Opus jam defuncto *Gregorio* suscepisse inde patet, quod hunc *eod.* loco *reuerendae memoriae Papam* adpellet,